



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi
Et Benè Moriendi**

Balde, Hendrik

Ipris, 1689

68. Cap. Quis modus animas lucrandi.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

eliciet, numerari nequaquam possunt; quia numero & fine carent.

Sic etiam, qui à sempiterno interitu animam vindicat, pluribus sceleribus, quàm, quæ unquam hîc perpetrata fuerunt, & perpetranda sunt, obicem ponit; hæc enim omnia ad certum numerum redigi possunt.

Blasphemix verò, quas vel una anima per te ex averni ore, ac faucibus erepta, atque servata in Deum evomisset, omnem numerum excedunt; quia finem nesciunt.

Nullum, inquit S. Gregorius, omnipotenti Deo tale est Sacrificium, quàm zelus animarum.

In salutem itaque animarum toto peccatore incumbere: divina enim gloria mirabiliter augetur, dum ovis perdita ad Christi ovile reducitur.

CAPVT LXVIII.

Quis modus animas lucrandi.

A Nimas lucrari possumus corporis afflictationibus hunc in finem susceptis,

S. Franciscus Xaverius corpus suum inflictiis

fictis vulneribus cruentabat, ut obdura-
tum hominem nefarium ad poenitentiam
emolliret.

Possimus item lucrum animarum facere
ægros in nosocomijs, captivos in carce-
ribus, egenos in privatis domibus visitan-
do, iisque eleëmofynâ subveniendo, &
salutaria impertiendo monita, ad exem-
plum *S. Ludovici Regis Galliæ, S. Caroli
Borromæi, S. Francisci de Sales, S. Radegondis,
S. Elisabethæ*, multorumque illustrium
virorum ac matronarum, qui etiamnùm
Parisy hunc in finem indies conspirant
suæque inter se bona ac studia, ad ægro-
rum, atque egenorum solatium & salu-
tem, conferunt.

Dici non potest, quantas in hominum
animos vires habeat munificentia.

Alius animas lucrandi modus est, ino-
pes pueros, puellasque legendi scribendi-
que arte imbuere, eosque bonorum mo-
rum, ac potissimum pietatis, virtutisque
præceptis erudire.

Hoc ipsum in varijs regionibus, & ur-
bibus perquam laudabiliter præstant non
paucæ virgines, quæ castitatis voto ob-
strictæ domi vel in cœnobijs Deo de-
serviunt.

Verbis exprimi nequit, quanti intersit,
jam

jam inde à tenera ætate, pueros ad virtutem informare, eosque rectè confitendi, communicandique modum docere; quem enim semel assumpserint, nunquam deponent, eaque est causa tantæ circà hæc Sacramenta imperitiæ, inter multos pro vectæ ætatis quàm scæminas quàm viros, qui à primis annis non meliùs fuere edocti.

Facile est efficere, ut tenelli frutices in rectas arbores, excrescant.

Sinite parvulos aiebat CHRISTUS Discipulis plebem increpantibus, quod hos ad ipsum adducerent & nolite eos prohibere ad me venire, ac si dicere voluisset. Ingens hinc sperandus est fructus, aures præbent doctrinæ, quæ illis proponitur, ejusque ad normam vitam ac mores fingunt, proindèque apprimè sunt idonei, qui ducantur in cælum.

Neminem igitur horum parvulorum, quos Dei filius tanti fecit, despiciere vel negligere nobis licet. *Videte*, inquit *ne contemnatis unum ex his pusillis; quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.*

Hujus aspectum sperare licebit & nobis, si vultus nostros animosque ab illis nunquam averterimus.

Omnes illi parvuli, quos pijs instructionibus

tionibus nostris æternæ subduxerimus damnationi, nobis è vitâ migrantibus læto & grato animo occurrent, futuri comites in cælum, quod Patri *Edmundo Augerio* Societatis *JESU* Religioso innumeri præstitere parvuli, quos olim doctrinâ Christianâ accuratè sollicitèque excoluerat.

Magni igitur æstima parvulorum animas, pro quibus unigenitus Dei filius pretiosum suum sanguinem profudit.

CAPVT LXIX.

Bonis exemplis lucratur animas.

Alphonsus *Rodrigues* Societatis *JESU* Religiosus janitoris officium tantâ obiit modestiâ, & morum compositione, ut quadragintâ circiter annorum spatio quadringentos studiorum alumnos ad Religiosum statum amplectendum permoverit.

Qui sincero animarum ardet zelo, varias libenter suffert molestias, seque non gravatè commodis privat, eo consilio, ut ne proximo peccandi præbeat occasionē.

Si esca, inquit S. Paulus Scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.